

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica invocavit

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA INVOCAVIT.

Textus.

Historia Passionis Dn. nostri Jesu Christi, secundum quatuor Evangelistas.

EXORDIUM.

HOdierna Dominica antiquitus appellata est *Invocavit*, quia olim in Ecclesia Latina in Introitu cantarunt ex Psal. 91. v. 15. *Invocavit me, & exaudiam eum.*

Nos quoque *Invocavit nostrum* celebremus, non modo tempore hoc Quadragesimali: sed & sine intermissione, imo singulis momentis, sicut præsens Evangelium, quod pii Veteres in præsentem Dominicam ordinarunt, nos admonet. Ex quo producimur.

I. *Triplicem Querelam*, considerantes

1. *Christianorum fortunam.* Statim post baptismum optimus Servator à Spiritu sancto ductus est in desertum, ut à Diabolo tentaretur. Idem evenit piis Christianis, ut continuo post susceptum Baptismum cum Diabolo in arenam descendere, adeoque perpetuam militiam agere teneantur, Job. 7. v. 1.

2. *Solitudinis noxam.* Christum in deserto solum agentem, tentator accessit. Ita adhuc hodie solitudinem usui suo inservire novit. Propterea genuini Christiani sedulo ædem Domini frequentare, nec collectionem suam deserere debent,

Hebr. 10. v. 25. *Væ namque soli*, Eccles. 4. v. 10. Exod. 20. v. 44.

3. *Multiplicem vexam.* Triplici enim tentatione Servatorem adoritur, primo diffidentia, secundo superbia & præsumptione, tertio avaritia & ambitione. Ita nec hodie Satanas feriatur, sed omnibus modis tentat, quomodo nos ad peccata seducat. Est enim mille artifex, qui retia sua explicat, instar Venatoris, feris insidiantis, Plal. 91. vers. 3.

II. *Triplicem Medelam*, quæ floit

1. *Ex Christi jejuniis.* Hoc ipso enim Protoplastorum immoderatam ingluviem expiavit, Gen. 3. v. 6.

2. *Ex Diaboli præcipitio.* Dixit enim ad eum Servator: *Apage Satan, & statim eum relinquere coactus fuit.* Cum fortis armatus custodit atrium suum & c. Luc. 11. v. 21. 22.

3. *Ex Angelorum servitio.* Secedente enim Diabolo, Angeli accesserunt & ministrarunt ei. Et adhuc hodie sunt administratorii Spiritus, Hebr. 1. v. ult.

III. *Triplicem Cautelam*, tribus Regulis inclusam, quarum

I. *Cru-*

Exegetis.

1. *Crucem tibi ne fabrica.* De Christo dicitur, quod ductus fuerit in desertum à Spiritu, Spiritu nempe sancto, ut Lucas addit. Ita nemo sibi ipsi crucem imponere, sed tamdiu expectare debet, dum Deus eam immittat, hic enim est, qui onus imponit nobis, sed & Salus nostra est, Psal. 68. v. 20. 21.

2. *Scripturam diligenter pondera.* Hic Christum semper ad Scripturam se referre audimus, quando eterna vice inquit: Ita scriptum est. Ita & nos ductum Scripturæ in vita & doctrina velut normam sequamur, juxta illud: Ad legem & Testimonium, Esa. 8. v. 20.

3. *Cum Christo jejuna.* De illo enim Evangelista memorat, quod quadraginta dies & noctes jejunaverit. Hoc nemo mortalium imitari potest. Ideoque nobis ad imitandum non proposuit. Interim non peccatur, si statis temporibus cibo potuque abstinemus, si cultus vel meriti opinio non accedat. Licet enim omnia fecerimus, tamen servi inutiles sumus, Luc. 17. v. 10.

Hæc brevis idea hodierni Evangelii est, quomodo pro instituti ratione explicari possit. Quia vero temporis ratio flagitat, ut passionis Dominicæ meditatione occupati simus, ideo sine longiori præambulo ad eam tractandam nos conferemus, propositione triplici jam explicaturi

I. *Passionis Dominicæ intimationem.*

II. *Agni Paschalis præparationem.*

III. *Symbolicam ultimæ recordationis manifestationem.*

¶

Quemadmodum Dominus Messias ait: Ecce venio, Psal. 40. v. 9. ita etiam in plenitudine temporis ultro Hierosolymis apparens, hostibus suis obviam processit. Hinc Theophylactus: Si nolisset pati, utique devitasset, quia præsciebat. Sicut id in prima textus parte nobis innotescit, ubi quadruplex intimatione, qua passio Christi indicatur, nobis proponitur. Præcedit enim

1. *Intimatio verbalis*, ita enim Servator: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Ubi observanda

1. *Patientis Persona*, quæ hic appellatur *Filius hominis*, qui tamen in una Persona *Θεὸς υἱὸς γεννητὸς* est. Totus enim Christus pro nobis passus est, & sanguinem profudit, secus enim passio ejus nihil nobis profuisset. Frater enim redimendo non redimet quenquam, Psal. 49. v. 8. Sed sanguis Jesu Christi, Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

2. *Temporis nota*: passus enim est Paschate Judæorum, quod alias festum azymorum vocatur: hoc ideo factum, ut indicaret, se verum agnum paschalem esse, ad quem ceteri omnes collinearint. Etenim Pascha pro nobis immolatus est Christus, 1. Cor. 5. v. 8.

3. *Mortis forma*, quæ intimatur

1. *Per traditionem.* Tradetur enim, nempe gentibus, Luc. 18. vers. 32. Judæi enim salutem à se rejectam gentibus tradiderunt, ut & ipsæ partem cum Christo haberent,

rent,

rent, velut cives Sanctorum & Domestici Dei, Eph. 2. v. 19.

2. *Per crucifixionem.* Hoc nostro emolumento factum est. Quia enim omnes maledicti eramus, ratione legis, quam servare non potuimus, Deut. 27. v. 26. Ideo Christus pro nobis maledictum fieri voluit, quo nos de maledicto legis redimeret, Gal. 3. v. 13. Hujus semper nos memores, cum Paulo dicamus: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, Gal. 6. v. 14.

2. *Intimatio realis,* ex parte Judæorum, qui catervatim confluunt, & consilium ineunt, ut Jesum dolo prehendant & occidant. Ubi notetur

1. *Cætus,* qui non fuit fex vulgi, sed præpotentiores in Ecclesiastica & Politica Hierarchia, nempe Principes Sacerdotum, & Scribæ & Seniores populi.

Adhuc hodie Pontifici Romano ejusque Affeclis familiare est, ut Christum ejusque membra odio prosequantur prorsus irreconciliabili, & ubi ignem succendere potest, nihil diligentia intermittit. Ideo splendore eorum nullatenus fascinemur. Vera Ecclesia pusillus grex est, Luc. 12. vers. 32. & lampas contempta apud cogitationes divitum, Job. 12. vers. 5. Sed aliquando stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, Sap. 5. vers. 1.

2. *Locus,* ubi conveniunt, nempe in atrio Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: qui non de stirpe Aaronis fuit, sed à Præside Uglerio Grato sacerdotium emerat, ut Josephus testis est.

Ex quo apparet, quod jam tum temporis summi Pontifices, in splendidis Palatiis habitaverint: ubi ex adverso Servator non habuit, quo caput suum reclinaverit, Matt. 8. vers. 20.

3. *Scopus,* fecerunt enim consilium, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Servator ipsis vitia sua perspicue exprobraverat, id male habuit eos, ut cum Saule cogitaverint: Honora me coram populo, 1. Sam. 15. vers. 20. Quia vero officio Christi id non conveniebat, ideo more Majorum vitæ Christi insidiebantur, qui odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt, Amos, 5. v. 10.

Sic adhuc hodie veritas mundo invisâ est, ut verbi Ministros se corripientes aut lingua percutiant, Jer. 18. v. 18. aut in exilium abigant, dicentes: Heus tu videns, abi, Amos. 7. v. 12. Quid vero tandem sequitur? *παρολ' εθλια,* interitus æternus à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 1. Thess. 1. vers. 9.

4. *Modus.* Quia enim innocentiam Christi probe perspiciebant, tum quoque non ignari erant, quanta Servator autoritate apud populum valeret, ideo inter sacrum & saxum stant, incerti qua via rem aggrediantur, propterea inquit Evangelista: consilium fecerunt, quomodo Iesum prehenderent & occiderent,

1. *Fraudulenter.* Hoc Diaboli ingenium est, ut quando violentia non possit, fraudulencia efficiat. Est enim serpens directus, & serpens tortuosus, Esa. 27. v. 1.

2. *Latenter,* ideo dicebant: Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo. Verum

rum adversus Dominum non est confilium, Prov. 21. v. 30. Comprehendit sapientes in astutia, Job. 5. vers. 13. Ajunt illi: Non in die festo: Sed pati constituerat in die festo. Hoc decretum ratum manet.

Humana quod versutia
Molitur, haud moramur.
Qui dissipat, sedet supra,
Consulta queis gravamur:
Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas.
Manu sua retractans.

3. *Intimatio figuralis*, quæ facta per mulierem Christum ungentem. Ubi spectandus

1. *Hospes suscipiens*, cujus hospitio Jesus in Bethania usus est, is vocatur Simon leprosus, à priori, quia antehac lue hac infectus, à Christo verò sanatus fuerat, ideo ex infucato amore & ad declarandum gratum suum animum, ipsi quam potest, benigne facit in domo sua.

Judæi decreverant, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret, Joh. 9. v. 22. Id vero Simonem hunc non absterret: sed Christum velut exulem suscipit, in nostram instructionem, ut communice, qui catechizatur in verbo, ei qui se catechizat, Gal. 6. v. 6.

2. *Mulier ungens*. Accessit enim ad eum mulier, habens alabastrum ungenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Quæ hæc mulier fuerit, non indicatur, ex 3. vero & 12. cap. Johannis colligi potest, quod Maria Lazari & Marthæ soror fuerit: quanvis non desint, qui hanc peculiarem unctionem fuisse velint, ab illa distinctam, quia tum pedes modo Christi

uncti sint, quod solus Judas ægretulerit: hæc vero memoratur, quod mulier ungentum pretiosum effuderit super caput ejus, ut totum corpus inunxerit, quodque non modo Judas, sed & omnes discipuli propterea indignati fuerint.

Quicquid sit, non plebejam sane mulierem fuisse, quia Unguento adeo pretioso corpus Dominicum delibavit, consentaneum est.

Nos ad exemplum mulierculæ hujus, Christum adhuc hodie in membris suis ungamus. Honora Dominum de substantia tua, Prov. 3. v. 9. 10.

3. *Judas reprehendens*. Ad quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Joh. 12. v. 4. verba hæc Judæ Proditori soli adscribuntur. Sine dubio, quia ille Antesignanus fuit. Loculos enim habebat, ut ibi dicitur, ideo cogitabat, si aqua illa vendita, & ipse pecunia potitus fuisset, non parum lucri se inde sibi comparasse.

Judas imago est avarorum, qui omnia, quæ Ecclesiæ & Scholis impenduntur, quasi perditum æstimant, & dicunt: Ad quid perditio hæc? Sed non dubitandum, quin & ipsi cum Iuda mercedem suam accepturi sint. Argentum & aurum eorum non liberabit eos, in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19.

4. *Christus defendens*. Ait enim: Quid molesti estis huic mulier? Opus enim bonum operata est in me, &c.

Hæc elegans Apologia est, quam Servator pro muliercula hac instituit.

1. *Discipulos increpat*, quia beneficium hoc improbatum ibant. Quod enim ex caritate fit, non mala intentione fieri probabile

babile est, Dilectio enim malum non operatur, Rom. 13. v. 10.

2. *Factum laudat*, opus enim inquit, bonum operata est, in me. Hoc plenissimum consolatione est, quod Dominus eos tueri vult, qui sibi & membris ejus honorem præstant. Quin & largiter aliquando remunerabit. Mutuo dat Domino, qui miseretur pauperis, Prov. 29. v. 17.

3. *Objectionem de pauperibus refutat*. Semper ait Dominus, pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Hoc non adversatur dicto Christi, ubi promittit Dominus, se nobiscum futurum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 18. v. 20. Est enim Christus adhuc hodie nobiscum, sed non eo modo, quo pauperes nobiscum sunt: visibilem enim præsentiam suam nobis subtrahit: sed eo modo, quo Deus nobiscum est, qui cælum & terram implet, Jer. 23. v. 24. neque enim saltem in cælum ascendit: sed sedet quoque ad dextram Dei Patris in ejusmodi throno, qui totum orbem replet, adeoque dominatur in medio inimicorum suorum, Psal. 110. v. 2.

4. *Causam indicat*. Mittens, ait hæc, Unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me, fecit. Quo docet Servator, opus hoc non velut nudum humanitatis officium intuendum esse, sicut alias Judæis usitatum erat, ut convivarum pedes lavarentur & caput inungeretur: verum esse opus, quod peculiari Spiritus sancti instinctu perfecerit, in testimonium instantis mortis: Sicut alias corpora defunctorum pretiosis Unguentis inunguntur ut aliquamdiu à correptione præserventur. Ita & me, in vita adhuc versantem, mor-

ti tamen vicinum inungere voluit.

Discimus hic, quemadmodum Servator noster passionis, mortis & sepulturæ suæ sæpe recordatur: ita nec nos in diem vivamus, quasi cum morte fœdus percussissemus, & cum inferno pactum fecissemus, Esa. 28. v. 15. sed semper cum Davide oremus: Doce nos numerare dies nostros, ut applicemus cor ad sapientiam, Psal. 90. vers. 12. Qui enim semper memorabit novissima sua, in æternum non peccabit, Sir. 7. v. 39.

5. *Posteritati commendat*. Dicit enim, Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memori ejus.

Bonum igitur facientes non defatigemur, id enim non modo honorificum nobis erit in hoc mundo apud Deum, & honestos homines, sed & die novissimo, ubi Servator noster, coram Patre suo cælesti, omnibus Sanctis Angelis & electis id prædicabit, dicitur: Esurivi, & dedistis mihi manducare, Matth. 25. v. 35.

4. *Intimatio instrumentalis*, ubi simul Organi Diabolici, proditoris Judæ mentio injicitur.

Circa hanc occurrit

1. *Nomenclatura*. Dicitur enim Judas Iscariotes, qui erat unus de duodecim, præclaro nomine ornatus. Judas enim significat confessorem: verum nihil minus erat, quin potius nefarius Apostata, qui pro eo quod Christum confiteretur, eum abnegavit, & morti tradidit.

Tales adhuc hodie passim occurrunt. Verum damnatio eorum olim eo gravior erit. Qui enim me negaverit coram hominibus, Matth. 10. v. 33.

2. *Stru-*

2. *Structura.* Incitatus enim est ad hoc facinus à Diabolo, qui eum obledit, non corporaliter, ut mutum & surdum, Luc. 11. vers. 14. sed ob pertinaciam, quia magis Diabolo, quam Christi admonitioni locum reliquit, sicut adhuc hodie omnia peccata à Diabolo originem trahunt, & qui peccatum facit, ex Diabolo est, 1. Joh. 3. vers. 8.

3. *Cura,* nam

1. *Pontifices compellat.* Ubi enim Dominus opinionem ejus non approbat, sed potius improbat, ira incitatus, tacite Bethania Hierosolymam se confert ad summos Pontifices, quibus propositum de Domino illis tradendo, explicat. O Satanicam malitiam!

Quot eorum adhuc hodie occurrunt, qui cum hostibus veritatis colludunt? Verum, qui non est mecum, contra me est, ait Servator, Luc. 11. v. 23.

2. *Mercedem postulat.* Quid inquit, vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Hinc quanta vis avaritiæ sit, perspicimus. Radix enim omnium malorum est, 1. Tim. 6. vers. 10.

3. *Triginta siclos acceptat.* Nostro calculo forte decem Imperiales fuerunt, hos Judas acceptat, & prodit Christum.

Hinc apparet, quod mundus Christum ejusque Ministros in tenui pretio habeat. Verum quo viliores æstimantur in oculis hominum, eo majores putantur in oculis Dei, qui illos tetigerit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 8. *6. f. Scod. 21. 32.*

4. *De Christo prodendo cogitat.* Servator Judam in Collegium Apostolicum assumerat & omni indigentia ita sustentaverat, ut ipse cum cæteris discipu-

lis, nihil sibi defuisse fateatur, Luc. 22. vers. 35.

Jam mercedem ipsi persolvit, dum anam captat, ut eum prodat. Hæc fœda ingratitude est, quam omnes pii Christiani cane & angue pejus fugere debent. Non enim bene erit, beneficia non compensanti, Sir. 12. v. 3.

Secundo.

Sequitur nunc altera pars, in qua considerabimus *Agni Paschalis præparationem.* Ubi notandum

1. *Impulsus.* Hic spectabimus

1. *Apostolorum questionem.* Ubi vis, inquit, paremus tibi comedere Pascha? Recte faciunt hac in parte Apostoli, quod nihil contra voluntatem Domini aggrediuntur. Mundus est, cujus rectum est opus, Prov. 21. v. 8.

2. *Christi responsionem.* Misit enim Petrum & Johannem, cum hac instructione: Ite in civitatem ad quendam, & dicitte ei, &c.

Monstrat hæc

1. *Locum passioni congruentem,* qui est Hierosolyma. Non enim capit, Prophetam perire extra Hierusalem, Luc. 13. vers. 33.

2. *Oculum Christi omnituentem.* Bethania distabat ab Hierusalem quindecim stadia, quæ fere milliare dimidium faciunt, nihilominus videt hominem vas testaceum portantem: sicut & cœnaculum magnum stratum, & novit omnia, quæ sibi ibi obventura sint, In ipso enim omnes sapientiæ & scientiæ Theauri absconditi sunt, Col. 2. v. 3.

Notetur hoc in *dehortationem*. Servator virum cum vase aquæ testaceo eminus videt. Ita etiam te in evacuandis vini amphoris, ut & aliis delictis occupatum videt. Propterea caute agas. Die novissimo omne occultum in iudicium adducet, sive bonum, sive malum sit, Eccles. 12. v. ult.

Sed & in *consolationem* vestram adhibete. Christus cernit hominem cum vase aquæ testaceo. Ne dubites velim, mi Christiane, quin & tuam miseriam perspiciat, quando inter satis molestos labores sola aqua contentum te esse oportet. Perfer id in patientia. Veniet olim tempus, ubi præ exultatione cordis jubilabis in æternum, Esa. 65. v. 13. 14.

3. *Virtutem Christi omnipotentem*. Neq; enim precariò hospitiū, sed satis pro imperio flagitat: Magister dicit: Tempus meum prope est; apud te facio Pascha, cum discipulis meis. Ita adhuc hodie sicut rivus aquarum, quocumque voluerit, corda inclinare potest, Prov. 21. vers. 1. Ideo animus minus abjiciamus quando fremunt gentes, & populi meditantur inania, Psal. 2. vers. 12. Nos ejusmodi gaudeamus Domino, qui vel verbulo omnes inimicos nostros ad pacem convertere potest, Prov. 16. v. 7. Classicum carite populi, & vicini, Esa. 8. v. 9.

3. *Fidelem executionem*. Discipuli equidem multa obstacula prætereunt, dicuntur: Quis Domine, id congruet? Anne hominibus ignotis imperare debeamus, ut te hospitio excipiant? Tu omnibus invisus es: & Pharisei edictum promulgant, ut si quis norit, ubi degas, id indicet. Quid si hospes id deneget? quid si pericu-

lum vitæ incurretes? Verum hæc & similia alia seponentes, Domini sui præcepto inhærent, fideliter iussa ejus expedientes. Ita & nos seposita omni disputatione verbo scripto inhæreamus, licet rationi nostræ absonum videatur. Melior enim est obedientia, quam victima, 1. Sam. 15. v. 22. 23.

II. *Confessus*, qui describitur

1. *Ratione catus discumbentis*. Vespere enim factò discumbebat Jesus, cum duodecim discipulis suis.

Alias de agno Paschali mandatum est, quod Israelitæ illum stantes comedere debuerint, tanquam festinantes, Exod. 12. 11. Sed hoc de prima comestione intelligendum, unde postmodū in omnibus locis, ubi Deus Pascha Israëlitis celebrandum injungit, stationis nulla amplius mentio fit, Lev. 23. v. 6. Num. 28. v. 17. Deut. 16. v. 2. Ideo nec Christus Ceremoniam hanc observavit, sed cum duodecim accubuit.

Nos hîc notamus

1. *Regulam malos ferendi*, Servatorem non latebant insidiæ Judæ, quod cum summis Pontificibus pactum fecisset, de prodendo Domino: Non vero propterea eum à comestione agni Paschalis excludit, sed cum reliquis Apostolis accumbere finit: nobis in exemplum, ut & nos malos cum mansuetudine toleremus, 2. Tim. 2. v. 24. neque enormes peccatores, si peccatum eorum occultum sit, illique id pernegent, à sacra cœna excludamus. *De occultis enim non iudicat Ecclesia*. Deus aliquando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

2. *Licentiam cum bonis accumbendi*. Viri justi sunt tibi convivæ, Sir. 9. vers. 23.

2. Ratione sermonis intervenientis, & quidem

1. In poculi valedictorii propinatione. Accepto enim calice, gratias egit, & dixit: Accipite hoc, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat.

Hoc poculum erat circularare, quo Servator indicat, non peccari, si amici ex cordiali gratulatione, potu se invicem saluent. Desiderium justorum profectò bonum est, Prov. 11. v. 23.

2. In Cœna sacramentalis consecratione. Postquam enim poculum valedictorium circulariter missum erat: Dominus aliam actionem incepit, & primò accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix est novum Testamentum, in sanguine meo, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Hæc ita institutio S. Cœnæ est, in quâ nobis Servator mediante pane benedicto, corpus suum in cibum, & mediante calice benedicto, sanguinem suum in potum ordinavit, in plenariam certiorationem, quod remissionem peccatorum habere, & cum eo in æternum vivere debeamus, Joh. 6. v. 51.

Onunquam satis prædicandum beneficium, quod Servator nobis hæc in re exhibuit! Nam ut Hilarius scribit: *Hæc sumta & hausta efficiunt, ut Christus in nobis sit, & nos in Christo.* Ideòque in omnibus adversitatibus lætabundus cum Paulo dicere potes: Certus sum, quod neque mors neque vita &c. Rom. 8. v. 38,

De Tertio.

Restat ultima & III. pars, nimirum Symbolica valedictoria recordationis manifestatio. Quæ facta

1. Amicabili pedum lotione. E cœnâ enim surgit, & ponit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum &c.

Hic perpendenda

1. *Autoris magnificentia.* Hic est Christus, Servator noster pietissimus, verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria in tempore natus, hic pedum hanc lotionem instituit, eoque indicat, non se venisse ministrari, sed ministrare, Matth. 20. v. 28.

2. *Operâ vilipendentiâ.* Posuit enim vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim & cœpit lavare pedes discipulorum: & extergere linteo, quo erat præcinctus.

Hæc aliàs servorum opera fuit, quam Christus hæc exantlat, quò significet, se justum esse servum Dei, Esa. 53. v. 11. qui propter nos servi formam induerit, ut nos Reges & Sacerdotes faceret, coràm Deo & Patre suo, Apoc. 1. v. 6.

3. *Petri resistentia.* Hic principio lavari minimè vult. Postquam verò Dominus ei minatur, nisi laverit eum, non habiturum eum partem secum: non tantum pedes, sed & pedes & caput lavanda offert.

Nos exemplo ejus cautiore facti, divinæ ordinationi minus refragemur, licet non intelligere aut comprehendere valeamus,

mus, quid Dei erga nos consilium sit. Est enim sapientia ipsa, qui non indiget consiliario, Rom. 11. v. 34. neque vires ei defunt, quò minus efficere possit, quod ordinavit. Dicitur enim, ejus est factum, Pl. 33. v. 9. Beatus qui in vocatione suâ manet, & voluntati ejus promtè obsequitur. In leges enim divinas impiè agere, impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit, 2. Macc. 4. v. 17.

2. *Usus demonstratione.* Voluit nimirum Christus ista pedum lotionem præbere

1. *Exemplum humilitatis.* Dicit enim: Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis: Sum etenim. Si ergò ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Amen, Amen dico vobis, non est servus major Domino suo, neque Apostolus major esse eo, qui misit illum.

Bene hîc advertit Augustinus: *Qua superbia sanari potest, si Filii Dei humanitate non sanatur* Sicut igitur Christus nobis præivit, ita quilibet sequatur eum oportet. Hoc sentite in vobis, quod & in Jesu Christo, Psal. 2. v. 7. seqq.

2. *Exemplum caritatis.* Propterea ait: Exemplum dedi vobis, ut sicut dilexi vos, ita & vos diligatis invicem. In hoc impletio legis consistit, Rom. 13. v. 10. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, 1. Joh. 4. v. 20.

3. *Tecta proditoris admonitione.* In quâ continetur

1. *Christiani hominis beatificatio.* Finito enim sermone de pedum lotionem, in clausula elegans Morale subjungit, dicens: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Nudum enim scire non sufficit, id Diabolis quoque competit, Jac. 2. v. 19. sed praxis adit oportet, aliàs vanum & irritum erit. Hinc dicitur: Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi, Jacob. 4. v. ult.

2. *Connexa nunciati limitatio.* Non de vobis omnibus dico, ego scio, quos elegerim. Hoc ipso proditorem suum notat, quò refert, quod scriptum est, Psal. 41. v. 10. Qui manducat panem meum &c. Judas enim beneficiis Christi hætenus ornatus, jam proditorem ejus molitur.

Fugite Dilecti! ingratitude, flagitiorum *μετρητολην*, hanc enim temporales & æternæ pœnæ excipere amant, Prov. 17. v. 13.

3. *Divinitatis Christi adseveratio.* Quæ cognoscitur

1. *Ex futurorum præscientia.* A modo, inquit, dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. Quo innuit, quod propterea hoc de proditore suo ipsis prædixerit, quò agnoscant, se omnia scire, adeoque non nudum hominem, sed promissum mundi Messiam esse, super quò Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Esa. 11. v. 2. Joh. 2. v. ult.

O quot inveniuntur, qui quando mala moliantur, si modò coram hominibus ea abscondant, nunquam manifestatum iri putant. Verùm seipos illi decipiunt, Et si enim nemo hominum novit, Deus tamen qui scrutator cordium est, exploratissimum sibi habet, 1. Reg. 8. v. 39. Iccirco malum hominem esse oportet, qui consilium suum cum celare audebit, Job. 42. v. 3.

2. *Ex una eademque cum Patre essentia.* Eò collineat geminum hoc juramentum : Amen, Amen, dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Hoc verbi *Praconibus* magno est solatio. Quia enim pro Christo legatione funguntur, 2. Cor. 5. v. 20. ejus patrocinio niti & certi esse possunt, quod Dominus quæcunque sibi eveniant, visurus & requisiturus ea sit, 2. Paral. 24. v. 22.

Auditores verò caveant sibi, ne Christi legatos despiciant, sed eosdem accipiant, h. e. omnia bona exhibeant. Hoc Christo ipsi præstatur. Qui enim inquit, accipit, si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui misit me. O do-

mum beatâ! in quâ ejusmodi hospites grati conveniunt. Quis Christum non susciperet ? Quis non Patrem cœlestem ? At qui audis hîc, quod quando Christi Ministros accipis, id eodem ipsum loco habiturum esse, ac si Christum ipsum ejusque Patrem cœlestem accepisses. Ipse enim & Pater unum sunt, Joh. 10. v. 30. Quin & tales beneficos vicissim recipiet in æterna tabernacula, Luc. 16. v. 9. Ubi tùm demùm plenè experientur, quomodo Filius in Patre, & Pater in Filio sit, & summum hoc Mysterium cum omnibus Angelis & Electis venerabuntur in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum,
Amen.

DOMINICA REMINISCERE.

Textus

Historia Passionis juxta quatuor Evangelistas.

EXORDIUM.

HOdierna Dominica ab antiquis temporibus appellatur Reminiscere, quia olim in Ecclesia Latinâ in introitu cantarunt ex Psalm. 25. Reminiscere Domine miserationum tuarum. Hoc ipso Majores nostri respexerunt prælectum Evangelium, in quo de muliere Cananæ agitur, quæ Christi auxilium imploravit : Miserere mei Domine, Fili David : Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Ille verò nulum principio ipsi verbum respondere voluit, donec tandem ad iteratas ejus supplicationes, misericordiâ suâ superatus, ipsi auxilium his verbis præstitit : O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Et